

I. N. 9.  
THESES  
DE  
THEOLOGIA NA-  
TURALI,

Quas,

*Consensu Celeberr. Ordinis Philosophic. in Illustri  
Et Regia ad Auram Academia.*

Sub PRÆSIDIO

HENRICI HASSEL,

Eloqventiæ Profess. Reg. & Ordin.

*Publice examinandas sicut*

ERICUS JUUELIUS

*Ostrobothniensis.*


In Auditorio Maximo Die XXVI. Novembr. Anno  
MDCCXLVI.

Horis ante meridiem consuetis.

---

ABOM, Excud. JOH. KIÆMPE, Reg. Acad. Typ.





*Thes. I.*

**T**heologia Naturalis per Scientiam de Deo; ejusque attributis & operibus definitur.

*Thes. II.*

**D**istinguitur Theologia Naturalis a Reuelata, quod illa tradit, quantum e lumine naturae de Deo constat: haec autem Eum describit, prout in S. Scriptura se manifestavit, adeoque mysteria rationem superantia proponit.

*Thes. III.*

**Q**uamquam mysteria, per revelationem patefacta, rationem prorsus fugiunt, cave tamen dicas, illa huic contrariari; quum Deus ipse non minus auctor sit luminis naturalis quam revelati.

*Thes. IV.*

**Q**uod Theologia Naturalis inter disciplinas Metaphysicas tractatur, ratio haec est, quia principiis Ontologicis, Psychologicis atque Cosmologicis nicitur.

*Thes. V.*

**S**tudium Theologiae Naturalis insigni gaudet usu, subi in omnes quidem Scientias se diffundit, in primis vero in Philosophiam Moralem.

*Thes. VI.*

**T**heologiam Naturalem ad Reuelatam, viam pandere argumentis variis euincitur.

*Thes. VII.*

**T**heologiam Naturalem saluti æternæ consequendæ insufficientem esse inde conspicitur, quia media eius ignorat.

*Thes. VIII.*

**T**emerarius est eorum conatus, qui Trinitatem ex natura demonstratum eunt.

*Thes. IX.*

**S**ensum Platonis recte adsecuti non sunt, qui in eo mysterium Trinitatis reperire sibi videntur.

*Thes. X.*

**Q**ui Salvatorem mundi ex lumine naturæ demonstrare adgrediuntur, tam irritum suscipiunt laborem, quam reuelationi aperte contradicunt.

*Thes. XI.*

**O**mnes de existentia Dei demonstrationes uno illo nituntur fundamento, quod mundus non sit a se. Hoc vero probare facillimum est. Nam omnes in mundo res, earumque mutationes sunt finitæ & mensurabiles; quod irrefragabilis experientia docet. Ex finitis autem, quantuscunque eorum sumatur numerus, non existere posse infinitum, immediate constat ex principio contradictionis. Pone contrarium, erit finitum infinitum, quod *αποδεγμένος* est. In idem contradictionis principium atque impingeret, si quis diceret finitum aliquid esse a se. Si non a se, ergo ab alio, sive Deo, qui est infinitus, & mundi auctor. atque haec est genuina Dei definitio nominalis. cfr. Act. XVII: 24.

*Thes. XII.*

**Q**uum Deus sit infinitus, per se planum est, quod ab intellectu finito plene concipi non possit; unde sequitur neque possibilem esse definitionem Dei realem.

*Thes. XIII.*

5

*Thes. XIII.*

**E**O minus ex principio, ut dicitur identitatis indiscernibilium demonstrari potest unitas Dei, quo certius constat, illud esse lepidum figmentum, ex monadologia Leibnitziana enatum.

*Thes. XIV.*

**V**NITAS Dei ipsa infinitate comprehenditur. Si enim plures essent quam unus Deus, singuli essentias & vires haberent limitatas, quod per se planum, nulla indiget probatione; sic neuter foret infinitus, Sed quum existat Ens infinitum, omnino est unicum.

*Thes. XV.*

**M**UNDUM Deo coeternum statuere aperte in principium contradictionis impingit.

*Thes. XVI.*

**Q**uod ad naturam substantiae pertinet, ut sit a se, & necessario existat, de substantia infinitae perfectio-  
nis verum est; de substantia autem finita falsissimum  
& contradictorium.

*Thes. XVII.*

**Q**uarumvis substantia finita ab alia limitata non pos-  
sit produci, bene tanquam a substantia infinita.

*Thes. XVIII.*

**D**EUM & mundum unam eandemque esse substantiam impium & ineptum est assertere.

*Thes. XIX.*

**D**eus habet omnes perfectiones possibles, h. e. quæ essentiae Eius & attributis non contrariantur.

*XX.*

**S**Ibimet ipsis contradicunt, qui dum statuunt Deum existere, varias ei tribuunt imperfectiones.

*Thes.*

## Thes. XXI

**S**implicitati Dei aduersatur eorum sententia; qui antimas humanas ex essentia Diuina delibatas esse afferunt.

## Thes. XXII.

**D**eus quidem agere non potest, nisi essentiæ & attributis Suis convenienter, id vero adeo libertati non aduersatur, ut ipsam Eius perfectionem constituat.

## Thes. XXIII.

**A**ttributa Dei ab essentia Eius realiter non distinguuntur, quicquid enim de Deo prædicatur, ipse Deus est; formaliter tamen ratione nostri concipiendi modi. Pari ratione unum attributum ab altero invicem non differt; ast ob imbecillitatem ingenii nostri eadem seorsim consideramus, quam uno intuitu omnia simul percipere nequeamus.

## Thes. XXIV.

**L**acet quædam attributa Diuina terminis negatiis designemus, ob intellectus nostri limitatam natum, hæc tamen re ipsa maxime sunt positiva. Quid enim magis positivum esse potest, quam quod in suo conceptu formaliter omnem limitationem excludit?

## Thes. XXV.

**A**ttributorum Diuinorum vestigia æque in minims ac maximis conspiciuntur.

## Thes. XXVI.

**I**n vasta machina mundi, multitudine mutationum sibi succedentium infinitaque varietate rerum, aliquo modo magnitudo intellectus Divini adumbratur.

## Thes. XXVII.

**D**atur nexus rerum sapiens, qui omni fatalitate caret.

## Thes.

*Thef. XXVIII.*

**Q**uoniam Deus sit sapientissimus, fines sapientissimos habuit, cur hoc vniuersum & singula maxima iuxta ac minima in codem existentia condidit.

*Thef. XXIX.*

**E**x rerum ad certos effectus producendos aptitudine & usu, fines, quorum gratia creatæ sunt, elucescent.

*Thef. XXX.*

**Q**uoniam finis, cur Deus mundum creavit, aut in ipso mundo, aut in Deo querendus sit; non in mundo, quia per mundum debuit obtineri; Ergo in Deo sit oportet, & quidem non aliud, quam manifestatio perfectionum Diuinarum Rom. I: 20,

*Thef. XXXI.*

**Q**uemadmodum quidquid creatum est, in Deo rationem existentiae suæ agnoscit, ita etiam ut res creatæ existentiam suam continuent, opus est concursus virtutis Diuinæ; proinde conseruatio ut continuata quadam creatio spectatur.

*Thef. XXXII.*

**Q**uod Deus mala praescit inde inferre non licet, Deum caussam esse mali; prout Astronomus non dici potest caussa Eclipseos, quia eandem certo tempore futuram praedit.

*Thef. XXXIII.*

**M**alum metaphysicum ab essentia rerum finitarum separari nequit; malum autem morale, Deus ob causas Sapientie suæ conuenientissimas, ad majus bonum obtainendum permittit.

*Thef. XXXIV.*

**Q**uod Deus hominem punit, ex eo non sequitur Deum velle hominem infelicem, *Thef.*

*Thef. XXXV.*

**S**I ad vitæ suæ cursum rite attenderit homo, varia adversa sibi sapissime profuisse animadvertiset; quapropter prouidentiam Diuinam ex animo venerari se obstrictum iudicabit.

*Thef. XXXVI.*

**E**X accurata perfectionum Diuinorum eonsideratione apud hominem non solum admiratio, verum etiam cultus excitatur.

*Thef. XXXVII.*

**Q**uicum homo duabus constet partibus essentia libus, anima videlicet & corpore, non sufficit Deum mente amare atque venerari, sed ore etiam opera Eius depraedicanda sunt. Cultus Dei internus & externus esse debet; præstantissimus autem est cultus, vitam & mores ad voluntatem Diuinam componere Jac. 1: 27.

*Thef. XXXVIII.*

**Q**ui Deum existere certo sciunt, vitam tamen perfectionibus Diuinis conuenienter non conformant, existentiam Dei operibus suis aperte negant.

*Thef. XXXIX.*

**Q**ui cultum Diuinum rebus creatis tribuunt, de ipsa essentia Dei absurdos sibi formant conceptus.

*Thef. XL.*

**A**d controversiam, num superstitione pejor sit atheismo, bene respondet Christ. Thomasius, non indigere illam aliqua decisione, quum uterque error hominem in abyssum miseriarum detrudat.